

omnem ejus facultatem ampliorem a probatione aliunde certa repeti debere: ideo nullatenus sustineri jam potest veterum scriptorum opinio, qua putabant, parochum sine ulla alia approbatione Episcopi loci ubique, etiam in *alienis dioecibus*, jurisdictionem a parochis loci accipere posse. Nam si quid ejusmodi fieri potest, id totum a voluntate Episcopi ejus loci, ubi audiuntur confessiones, repeti debet.

Ita autem aliquando accidit, ut in confiniis diversarum dioecesium confessarii, qui in una dioecesi approbati sunt, etiam in alterius dioecesis locum vicinum ad excipiendas confessiones advocari possint: quod si re ipsa fit sciente et tacente Episcopo, tacita, sed vera ejus approbatio adest.

4. Parochiae collatione parochus eo ipso quidem censetur aptus ad confessiones suorum excipiendas. Nihilominus Episcopo inest facultas aliquando de novo etiam parochos examinandi et de eorum aptitudine denuo recognoscendi: v. Ben. XIV. *notif.* 9 n. 16 apud Scavini t. 3 n. 538.

Se. S. Congr. Conc. haec statuit: 1) Si agitur de parochis ab Episcopo *antecessore* institutis: successores posse, „superveniente *rationabili causa*, etiam ex officio, etiam extra visitationem, examinare parochos ad ecclesias parochiales approbatos“; etiam „parochos regulares“ sic examinari posse: imo Rota Romana decrevit, sufficientem causam rationabilem esse „libitum et *solum conscientiae quietem* Episcopi“. 2) Si agitur de parochis ab eodem Episcopo jam examinatis, S. Congr. voluit: 1. „posse Episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest *vehemens suspicio de illorum imperitia*“; 2. posse Episcopos ad hujusmodi examen procedere extra visitationem; 3. ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiae praecedant; 4. eos vero, contra quos suspicio imperitiae non vigeat, ad examen revocari non posse.“ Ita 15. Jan. 1667 et 22. Sept. 1668: cf. Ben. XIV. *de synodo dioec.* l. 13 c. 9 n. 21.

878 Ad V. Quum Trid. Conc. solos eos, qui parochiale beneficium obtulerint, ab ulteriore approbatione Episcopi exemerit, difficultas esse potest, quid sit dicendum de iis sacerdotibus, qui proprie parochiale beneficium non habeant, attamen quibus similis cura spiritualis erga certos fideles imposita sit. Quod si accidit, videri debet, quamnam facultatem S. Sedes cum hoc munere junxerit. Nam Apostolica Sedes, sicut decretum Trid. approbando sanxit, ita etiam exceptiones statuere potest.

Ita maxime quaeritur, quid capellani militares possint, num sc. militum confessiones etiam in *praesidiis* possint excipere, nulla habita ratione Episcopi loci. Non potest generalis regula statui. Nam si distinctus Episcopus militaris creatus est, aut aliquando etiam si solummodo super totum exercitum constitutus est Capellanus major, hisce facile amplissima facultas datur alios sacerdotes sive capellanos approbandi sine ullo Episcopi loci interventu; alias non item.

Vid. Acta S. Sedis vol. 1. p. 681 et Scavini t. 3 n. 541, ubi reperies decreta:

1. „An capellani exercitus sive regulares sive saeculares catholici possint administrare sacramentum poenitentiae *militibus in praesidiis* sine speciali facultate S. Sedis vel licentia et approbatione Ordinarii, in cujus dioecesi exstare contigerit.“ Responsum fuit: „*Negative*“, 6. Martii 1694. Idem 29. Jan. 1707 in *Frising.* Quare eorum facultas limitatur ad milites in itinere et castris.

2. Specialis autem facultatis a S. Sede datae exemplum habes in amplissima potestate, quae dabatur nostris temporibus Episcopo militari pro Borussia, ita ut maxima pars fidelium tempore belli Germano-Gallici subtracta videretur ipsorum dioecesanorum Episcoporum jurisdictioni. — Etiam Ben. XIV. Brevi „*Quoniam*“ 28. Maji 1746 concessit ad septennium Capellano Regis Sardiniae ab ipso rege deputato „facultatem per se vel alios sacerdotes probos et idoneos in examine a se repertos et subdelegandos sacramentaliter absolvendi milites a quibusvis peccatis et censuris, necnon alias utriusque sexus personas ad exercitus regios (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) spectantes.“

Articulus III.

De jurisdictione delegata et approbatione illi conjuncta.

§ 1.

De delegatione et approbatione ordinario modo facta.

I. Ante omnia animadvertendum est, requiri pro sacerdotibus, qui ex *delegata jurisdictione* agunt, ut valide absolvere possint saeculares¹, approbationem *Episcopi dioecesani loci* illius, ubi confessiones instituuntur, nisi speciale privilegium S. Sedis aliud permittat. Id habetur clare ex Const. Innoc. XII. 19. Apr. 1700 „*Cum sicut*“ et Innoc. XIII. 23. Sept. 1723 „*Apostolici ministerii*“, confirm. per constitutionem Ben. XIV. „*Apostolica indulta*“ 5. Aug. 1744: „Confessarii tam saeculares quam regulares, quicumque illi sint, . . . nullatenus confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii et Episcopi dioecesani loci, in quo ipsi poenitentes degunt et confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt,“ et expresse declaratur, privilegia quaecunque sive Cruciatas, sive Jubilaei etc. sibi eligendi confessarium approbatum ab Ordinario intelligi omnino de approbatione Episcopi dioecesani loci, in quo confessio excipiatur.

II. Approbatio sicut plene et illimitate dari, ita etiam certis limitibus circumscribi, aut etiam revocari potest.

Circa jurisdictionem autem, quum naturalis ordo ille sit, ut inferior et delegatus iudex potestatem a Superiore habeat idque per se a suo Superiore immediato, recipi vero *nequeat* potestas nisi in eos, qui vere subditi sint illi, qui potestatem alteri tribuat, haec observanda sunt:

III. Confessarii saeculares accipiunt et approbationem et jurisdictionem aut a suo Episcopo, aut ab alieno, si in ejus dioecesi confessiones excipiunt, ad absolvendos eos, qui in illo loco subditi sunt.

IV. Confessarii regulares, si modo adsit *approbatio* ex parte Episcopi loci accepta, jurisdictionem ad audiendas confessiones saecularium accipiunt a S. Pontifice, mediis suis Superioribus, qui jurisdictionem ex parte S. Pontificis ipsis communicare debent, ita ut in conferenda

¹ Quid in confessionibus regularium excipiendis requiratur, infra dicetur.

suis subditis jurisdictione non potestate propria agant, sicut agunt Episcopi in deleganda sua jurisdictione, sed tamquam S. Pontificis commissarii. Quare quod ad *jurisdictionem* spectat, confessarii regulares quoslibet fideles saeculares absolvere possunt, accedente approbatione Episcopi loci.

V. Nihilominus, nisi pro aliquo ordine specialis lex a S. Pontifice lata obstet, confessarii regulares *possunt* cum approbatione etiam *jurisdictionem* ab Episcopo loci accipere sicut confessarii saeculares, eaque hodie fere semper intentio Episcoporum est, quando regulares pro excipiendis confessionibus approbant.

VI. Peregrini, i. e. qui extra dioecesim sui domicilii vel quasi-domicilii existunt, sine ulla difficultate absolvuntur a confessario regulari, quum subditi sint ejus, a quo confessarius regularis jurisdictionem delegatam habet, sc. R. Pontificis; ex consuetudine tamen a quolibet confessario etiam saeculari absolvuntur, quum Episcopus peregrini hanc potestatem cuilibet approbato confessario tacite concedat et rationabiliter concedere debeat.

VII. Vagi, quoniam certum territorium pro domicilio non habent, proprie solum S. Pontificem spiritualem Superiorem habent, et ex ejus sive expressa sive tacita delegatione absolvuntur ab omnibus confessariis approbatis in iis locis, ubi existunt; at neque ullibi ab alio, quam ab approbato confessario loci possunt absolvi.

Ad singula nonnulla notanda sunt:

380 Ad I. 1. Approbationem ut Episcopus concedat, jus habet exigendi examen. Quod tum ex Trid. loco supra cit., tum ex Constit. SS. Pontificum, ut „*Superna*“ Clementis X., omnino liquet: attamen quum aliunde sufficiens notitia idoneitatis haberi possit, arbitrio Episcopi relinquatur, aliter approbationem concedere.

2. Constitutionibus allatis (Clem. X., Innoc. XII., Ben. XIV. etc.) sublata est controversia, quae post Trid. exarsit, a *quonam* Episcopo approbatio confessarii fieri debeat. Alii putabant, a Superiore confessarii, alii a Superiore poenitentis: imo relate ad regulares exemptos probabile prorsus videri poterat sufficere approbationem sine restrictione a quocumque tandem Episcopo acceptam, quum proprium Superiorem non haberent Episcopum ullum, idque eo magis, quod aliqua privilegia existebant a Clemente VII. et Sixto V. data, qui id expresse concesserant (v. Salm. *de privil.* cap. 4 punct. 2 n. 76), et Greg. XIII. facultatem fecerat „confessariis ab *aliquo* Ordinario semel approbatis et a suis Superioribus deputatis, ut quocumque iter fecerint, quorumcunque Christi fidelium . . . confessiones audire — dummodo id non faciant in ipsis oppidis aut locis, in quibus Ordinarii existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta — libere et licite valeant“.

At Innoc. XII. omnia privilegia et constitutiones suae bullae contraria plenissime abrogavit.

3. Episcopi possunt sibi eligere, etiam extra suam dioecesim, in confessarium quemlibet sacerdotem sibi subditum, eumque ubique secum du-

cere: at si non est eorum subditus (sive per domicilium sive per quasi-domicilium, sicut habet ille, qui ab Episcopo ad famulatum conductus est), confessarius eorum esse nequit extra eorum territorium, nisi sit approbatus. (S. Alph. ex opinione Fagn. et Lugo dicit „approbatus ab Episcopo [domicilii] sacerdotis“; Scavini „ab Episcopo loci“: quod ultimum pro norma haberi debet, siquidem, teste Ferraris, S. Congreg. jam anno 1609 dixit, Episcopum extra dioecesim non posse confiteri confessario nisi approbato ab Ordinario loci — intellige: nisi sit ipsius Episcopi confitentis subditus.) Cf. Mazotta *de poen.* disp. 2. q. 1 c. 3 § 4; Scavini t. 3 n. 421 (ed. 10); S. Alph. *de priv.* n. 65.

Cardinales, domestici R. Pontificis, Reges et Principes possunt sibi eligere aliquem ex approbatis confessariis, atque ab eo *ubique* absolvi: ib. Imo Romae et Cardinales et Episcopi possunt sibi totique familiae eligere quemlibet sacerdotem idoneum, atque eum etiam extra Romam secum educere et pro confessario retinere. S. Alph. ib.

4. Approbatio, quae ad validam confessionem requiritur, vere data (et confessario notificata) esse debet, non sufficit praesumptio approbationis dandae. Quum enim *de valore* actus, quem confessarius exercet, agatur, non potest quaeri, quam potestatem Superior ei *collaturus esset*, sed plane quaeri debet, num et quanam potestas *collata sit*. Quare si sacerdos literis datis petiit approbationem ejusve prorogationem, etsi ex iis, quae Episcopus agere consuevit, conjicere prorsus possit, approbationis concessionem esse expeditam¹, confessiones nullatenus excipere potest, antequam vere nuntium concessionis factae acceperit. — Sufficit tamen viri fidelis pro nuntio missi relatio de facultate re ipsa data.

Ad II. 1. Approbatio danda restringi potest ad locum, tempus, per-³⁸¹sonas, idque, saltem si approbatio jurisdictionem includit, per se *pro arbitrio Episcopi*, eaque data revocari potest: siquidem omnis delegatio ad arbitrium delegantis et fit et perdurat. Imo etsi de sola approbatione presse sumpta sermo est, restrictio ad certum tempus, pro certis locis, certoque hominum genere (v. g. pro viris tantum) ex rationabili causa fieri potest, atque practice tandem Ordinarii iudicio standum est.

2. Causae autem restringendi sive jurisdictionem sive approbationem rationabiles sunt: defectus plenae aptitudinis; timor, ne studium negligatur atque ita periculum errandi inducatur etc.

3. Jurisdictio et approbatio pro certo tempore concessa elapso tempore expirat: alias revocatione finitur. Sed si illimitate concessa est, sola morte concedentis non expirat², neque ex eo tantum, quod

¹ Puto tamen, si sacerdos concessionis illius, quam exspectat, acceptionem apud se posuerit, jurisdictionem ad valide, non vero ad licite agendum adesse, quando literae concessionis Ordinarii non subscriptae solum, sed *expeditae* fuerint, ita ut retineri vel mutari amplius non possint nisi novo nuntio sacerdoti misso, aut quando Ordinarius concessionem dederit nuntio a sacerdote petente misso, etsi ille nondum redierit. Cf. Sanchez *de matrimonio* l. 3 d. 36 n. 2. 6. 8, ubi tamen vides, ex theologorum circa istos casus discrepantia facile fieri ejusmodi jurisdictionem *dubiam*.

² Id etiam expresse habes ex bulla Innocentii XIII. „*Apostolici ministerii*“ 13. Maji 1723 et Bened. XIV. „*Apostolica indulta*“ § 3 ed. 11. Aug. 1744.

delegatus mutavit domicilium; nam si aut iterum in dioecesim priorem revertitur, aut etiam per eam casu transit, nulla est ratio, cur non possit poenitentes absolvere. Quod hodie certum omnino esse debet quoad regulares alicubi sine limitatione approbatos¹.

382 Ad III. et IV. 1. Regulares, etsi jurisdictionem a Papa habent, confessiones tamen excipere nequeunt sine approbatione Episcopi, quam sine rationabili causa iis denegare non licet quidem, at ipsorum non est, de causa, cur Episcopus deneget, judicare, et utcumque tandem denegata approbatione, confessiones excipere nullatenus possunt. Cf. thesim 13. ab Alex. VII. proscriptam: „Satisfacit praecepto annuae confessionis, si confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.“

2. Certis tamen limitibus Clem. X. potestatem Episcoporum in approbandis et rejciendis regularibus circumscripsit. In Const. „Superna“ dicit: 1) „illos religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopo generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum in propria dioecesi admittendos: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere.“

2) „Semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiore reddere . . . saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam“: idque sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones ab Episcopo praecipere posse.

3) „Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem ab ejus Vicario, aut antecessoribus Episcopis) approbatos non

In genere quaelibet potestas delegata per mortem delegantis seu ejus muneris cessionem in sequentibus casibus *expirat*: a. si data est „ad arbitrium nostrum“, i. e. ad personale arbitrium concedentis, b. si data est pro casu particulari per rescriptum *gratiae faciendae*, c. si data est pro casu particulari jurisdictione odiosa, causa nondum incepta;

non expirat: a. si data est „ad arbitrium Sedis“, b. si data est per rescriptum *gratiae jam factae*, c. si causa quaecunque jam incepta est, d. si aliqua facultas in genere data est sine illa restrictione „ad arbitrium nostrum“.

¹ Antea majoris probabilitatis specie moveri poterat difficultas, quia probabiliter approbatio illius Episcopi exigebatur, qui erat aliquo modo confessarii Superior; sed Superior ejus non mansit, domicilio mutato. At quum hodie id falsum esse constet (v. supra Innoc. XII.), sed requiratur approbatio ejus Ordinarii, in cujus dioecesi confessiones excipiuntur, omnis difficultas evanuit relate ad eum confessarium, cui approbatio data est non ratione alicujus muneris, quod ut subditus approbantis Episcopi gessit — id quod jam Lugo d. 21 n. 44 probaverat. Si autem jurisdictio et approbatio simul collata erat propter munus, quod confessarius tamquam subditus in aliqua dioecesi gessit, non censetur abdicato munere perdurare. Quare sacerdos saecularis, qui munus capellani aliudve gessit, si in alteram dioecesim translatus est, in priore dioecesi non censetur facultatem excipiendi confessiones retinere, nisi aliunde de contraria mente Episcopi constet. Idem dicendum est de regulari, qui a suo Superiore locali facultates acceperat. Nam si transfertur in aliam domum, facultates prioris Superioris expirant neque reviviscunt eo, quod revertatur.

posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat: de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.“

Quare regularis in toto hoc negotio Episcopi arbitrio obedire debet: quodsi putet, secum injuste agi, restat, ut ad Sedem Apostolicam appellet, interim vero acquiescat.

4) „ . . . Quum praecipua ministri poenitentiae sacramenti qualitas sit vitae integritas ac morum honestas, utique *eam causam* ad confessionis ministerium pertinere . . . : attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessariis adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse.“

Verum quidem est, Benedictum XIV. ut doctorem privatum in *Instit.* 86 contendere, Episcopum *communiter* posse limitatam approbationem regularibus concedere. Attamen quum ne ipse quidem ut Pontifex Constitutionem Clementis X. mutaverit, sed in ipsis suis bullis eam pro norma alleget: si quid juris amplius contra regulares Episcopis alicubi competit, id ex legitima consuetudine, per modum praescriptionis in certis locis probanda, vim ducere debet. Quod in quibusdam locis ita factum esse videtur, ut Episcopo major facultas insit approbationem regularibus dandam ad certum tempus restringendi, minor tamen facultas, eos, quos idoneos quidem, sed non absolute idoneos repererit, ab *omni* approbatione excludendi.

3. Quare sequitur:

1) Limitatur approbatio quibuslibet religiosis juste omnino tum saltem, quando sine examine conceditur.

2) Ad examen regulares approbati vocari possunt: a) qui sine examine approbati fuerunt; b) qui post examen limitate tantum approbari poterant, saltem tempore approbationis elapso; c) qui non ab Episcopo, sed ab ejus vicario, aut antecessore, licet examinati, approbationem acceperunt, etiamsi ea fuit illimitata; d) si supervenerit causa ad confessiones spectans, etiam ii, qui ab ipso Episcopo post examen approbationem, etiam illimitatam, acceperunt.

Ad V. 1. Ab eo, utrum Episcopus sacerdoti regulari simul cum ³³³ approbatione jurisdictionem contulisset necne, valor aut nullitas confessionum dependeret, quas regularis ille forte, inscio vel contradicente Superiore, excepturus esset. De hac re habes responsa S. Congr. Epp. et Reg. 2. Martii 1866 (v. Acta S. Sed. vol. 1 pag. 683).

„An religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii *valide* excipiat confessiones saecularium.“ R. „Affirmative“. — Nam eum, *invito* Superiore, *illicite* agere, in comperto est.

2. Etiam quando Superior regularis ab Episcopo accepit facultatem, suos subditos ex parte Episcopi ad confessiones deputandi, Superior jurisdictionem ex parte Episcopi communicare potest. Quare

tunc etiam est videndum, quam late pateat facultas communicata. Videlicet:

1) Si Episcopus *generalem* dedit facultatem, casus reservati non comprehenduntur, etsi non expresse eximuntur, secundum regul. Bonif. VIII. l. 5 tit. 10 cap. 2 in 6^o.

2) Si Episcopus ampliorem facultatem concessit, v. g. pro „Missionariis“, et Superior subdito suo etiam generali tantum modo facultatem pro Missione illa communicat, censetur *omnes facultates* ab Episcopo acceptas communicare, quia ut commissarius tantum Episcopi agere censetur, nisi contrarium dixerit.

3) Si Episcopus pro certo tantum fine facultates dederit, illae ulterius non extenduntur: aliud vero est, si certum aliquod opus *ocasio* fuit facultates generaliter petendi et concedendi.

384 Ad VI. 1. Magna controversia exarsit inter Vindic. Alphons. et Ballerini, quo jure peregrini absolventur, utrum vi potestatis, quam eorum Episcopus alieno confessario det, an vi potestatis sive a Summo Pontifice sive ab Episcopo ejus loci, in quo confessiones excipiantur, datae.

Neque enim prorsus idem est pro praxi, quomodo hanc quaestionem solvas. Si peregrini absolventur ex jurisdictione, quam *ipsorum* Episcopus dat: 1) idem Episcopus absolute potest prohibitionem efficere, ne ab alieno confessario, saltem saeculari, valide absolvantur; 2) in absolutione casuum reservatorum — ut postea videbitur — diversa solutio pro diversa hujus quaestionis solutione danda est.

Porro 1) id pro principio inconcusso haberi debet, neminem posse absolvi nisi a suo Superiore ejusve delegato: — quare peregrinos *posse* absolvi vi potestatis a *suo* Episcopo alienis confessariis tacite datae, *nemo* in dubium vocare *potest*; manent enim, etsi peregre existunt, *suo* Episcopo subjecti.

2) Episcopum illius loci, in quo peregrini actu versentur, potestatem eos absolvi *proprio munere* habere atque aliis communicare posse, videtur sine ulla solida ratione dici. Nam id nequit facere, nisi eorum *Superior* ex suo munere sit. Sed Superior eorum nequit esse, nisi sit *eorum Episcopus*; nam Superiores ecclesiasticos neque jus divinum neque ecclesiasticum novit, nisi Papam, Episcopos, Parochos et qui eorum locum tenent. At Episcopum loci esse peregrinorum verum Episcopum, nemo dixerit neque quisquam, nisi omnia permiscere velit, dicere potest. Dicere autem, Episcopum loci esse peregrinorum Superiorem *in foro interno*, nihil est: nam qui hoc dicit, sed simul fatetur, illum proprium peregrinorum Episcopum non esse, re ipsa nihil aliud dicit, nisi in foro interno aliquem, qui non sit vere Superior, iudicium exercere posse; quod quomodo cum *divino jure* cohaereat, ipse viderit. Quare, qui nolunt dicere, peregrinos absolvi vi potestatis ab *ipsorum* Episcopis tacite datae, sed vi consuetudinis generalis Ecclesiae vim legis habentis (Gury *edit. prioribus*, Scavini, alii), aut volunt dicere, Ecclesiam, i. e. S. Pontificem, facere Episcopum loci etiam *Episcopum* peregrinorum, aut S. Pontificem delegare *suum* jurisdictionem omnibus confessariis. Sed quia prius illud sustineri nequit, dicere coguntur:

385 3) Summum Pontificem, sive expresso sive legali consensu in universalem consuetudinem dato, tribuere omnibus confessariis approbatis juris-

dictionem delegatam peregrinos absolvi. Posse alicui hanc opinionem videri probabilem, praecipue propter auctoritatem S. Alph. l. 6 n. 588 dicentis „peregrini, stante hodierna consuetudine, nempe quod absolventur ubique a quocunque confessario approbato, hodie non amplius absolventur ex voluntate *suorum* Episcoporum, sed ex voluntate *Ecclesiae*, quae talem approbando consuetudinem tribuit facultatem“, non nego¹: attamen res ipsa non est certa. Nam talis consuetudo nihil amplius probare videtur, nisi *Episcopos ipsos* tacite consuevisse consentire, non vero eos *debere in omni casu* consentire, vel etiam ipsis subtractam esse potestatem in suos, quum primum hi peregre extiterint; neque ostenditur, S. Pontificem ita consentire in hanc consuetudinem, ut naturalem ordinem intercipiat, secundum quem omnis facultas agendi, quantum fieri possit, ab *immediato* Superiore, non vero a mediato et supremo Superiore proxime conferatur.

Nihilominus Romanum Pontificem *posse*, si velit, etiam quoslibet saeculares confessarios potestate peregrinos absolvi donare, dubium non est: atque relate ad *vagos* eum id fecisse re ipsa, etiam certum est. Imo si quis Episcopus suos subditos *sine speciali aliqua causa* prohibere vellet, quominus peregre existentes absolventur ab ullo confessario loci approbato, propter nostri temporis conditiones, ob quas multi semper extra domicili locum versantur, juste S. Sedes adiri posset, ut prohibitionis non satis rationabilis remedium peteretur: nam si nolit omnibus confessariis alienis hanc potestatem dare, debet saltem, nisi regulares confessarii numero sufficientes adsint, *aliquos* assignare, apud quos ubique, qui peregre existant, confiteri possint. Aliter enim tam fere male ageret, ac si intra suam dioecesim in certa aliqua et ampla regione nullum vellet constituere confessarium, a quo fideles sacramentaliter absolventur.

2. Navigantes in periculo a quolibet sacerdote absolvi posse, certum³⁸⁶ est ex iis, quae infra dicentur. Alias vero ut absolvi possint, sacerdotem a certo quodam Episcopo jurisdictionem vel approbationem accepisse necesse est. Ex consuetudine et communi praxi sufficit, accepisse approbationem ab Episcopo ejus loci, ex quo navigatio suscipiatur, eaque pro toto tempore navigationis valet. Gury n. 555, Scavini t. 3 n. 544 etc.

At haec regula plerumque non satis clara et certa est. Sufficit utique, si navis ex uno portu solvit et cursu non interrupto iter usque ad alterum portum, qui sit itineris terminus, perficit. At non ita fit. Saepe enim naves in certis stationibus ad litus appellunt, multos, qui in navi erant, ibi relinquunt, alios itinerantes assumunt, ita forte, ut maxima pars hominum prorsus mutetur. An igitur 1) sacerdos, qui ab initio navim conscenderat, omnes etiam advenas absolvi potest vi primae suae approbationis? 2) Possuntne etiam ii sacerdotes, qui in aliqua intermedia statione navim ascendunt, si ab hujus loci Episcopo approbati fuerint, omnes navis incolas absolvi? Dicam meam *opinionem*:

Primum videtur utique affirmandum. Videlicet navis censetur Episcopo illius loci, ubi communiter stetit, et a quo nomen suum traxit, et in quo

¹ Quare secundum ea, quae postea dicenda sunt, ille, a quo haec opinio probabilis et fundata putetur, non videtur peccare, si secundum eam agat, etiam tum, quando ex alia sententia absolvi non possit; neque tunc practice invalidam absolutionem dabit, eo quod saltem propter coloratum titulum Ecclesia supplebit. Cf. hanc quaestionem in *foliis period. Oenipont.* anni 1881 vol. V. pag. 353 sqq. a P. Noldin erudite tractatam.

navis milites cum duce suum quasi-domicilium habent, tamdiu subesse, dum terminum itineris attigerit; imo si vix ad litus appulsa sine mora statim redire incipiat, sacerdos idem, si in navi manserit, videtur pro tempore reditus etiam approbatus manere; alioqui debet in priore itineris termino denuo approbationem petere. Nam omnes illi, qui in stationibus intermediis navim ascendunt, tamquam hospites et peregrini aut tamquam vagi considerari possunt in quasi natante parochia, et propterea absolvi ab eo, qui pro ipso loco (i. e. navi) approbationem accepit.

Secundum etiam affirmandum videtur saltem quoad omnes advenas et emigrantes; quoad navis incolas seu milites cum duce res per se difficilius videri potest, nisi Episcopus loci, unde navis solvit, consensum suum dederit: qui tamen videtur adesse, nisi expresse contradixerit. Nimirum navis considerari potest ut pars cujuslibet territorii, ex quo solvit, aut post brevem appulsum iterum solvit. Navigantes igitur, qui suscipiuntur in *navim*, sive peregrini, sive vagi, haberi possunt tamquam suscepti in quodlibet ex illis territoriis. Ergo si a cujuslibet illorum territoriorum Episcopo sacerdos facultatem habet, facultatem habet ab Ordinario loci (seu quasi-loci), ubi confessiones excipiuntur: nisi pro militibus navalibus cum duce, utpote navigantibus non vagis, aliisve similiter non vagis, specialis exceptio a legitimo eorum Superiore facta fuerit.

Si vero navis diutius in aliquo loco stetit, atque hominibus mercibusque, quas vehebat, dimissis, postea quasi novum iter suscipit, etsi aliqui ex prioribus incolis etiam hoc iter prosequuntur: videtur pro sacerdote prorsus facultas peti debere ab Ordinario hujus novi portus. Ita sumendam puto sententiam Craisson n. 1549, qui indiscriminatim dicit, denuo „petendam approbationem ab Ordinario portus, ubi navis appulerit“. Cf. decretum Sancti Officii approbante Pio IX. in responso ad Ep. Nannetensem 17. Martii 1869: „*Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit.*“ (Nouv. Rev. théol. XVII, p. 601.)

§ 2.

De delegatione, quae fit extraordinarie et per accidens.

³⁸⁷ Modus delegatae potestatis, quem hic considerandum suscipimus, ille est, qui potestatem absolvendi dat *supplente Ecclesia*¹. Quod etiam aliquando fit in dubia jurisdictione, de cujus usu etiam pauca exponere debemus. Quum autem non idem sit, Ecclesiam supplere, et sacerdotem licite absolvere, ante omnia haec notanda sunt:

I. In certo defectu potestatis, etiamsi Ecclesia forte suppleat, potestatem exercere, prorsus illicitum est.

II. In dubio potestatis defectu, maxime si Ecclesia certo supplet, eam exercere pro diversis causis et adjunctis licitum esse potest.

Quae ut melius intelligantur, distincte exponendum est:

1) Quid hoc sit, Ecclesiam supplere.

¹ Cf. hac de re *fol. period. Oenipont.* (anni 1882) vol. VI. pag. 659 sqq.

2) Quid discriminis sit inter dubiam et probabilem jurisdictionem, et quomodo Ecclesia in utraque suppleat.

3) Ex quam causa jurisdictione dubia vel probabili uti liceat.

I. Quaestio: quid hoc sit, Ecclesiam supplere.

Huic quaestioni verbis Lessii respondeo (*de justitia et jure* l. 2 cap. 29 n. 65 et 68): Si dicitur Ecclesia seu supremus iudex (R. Pontif.) supplere, „*jus ipsum confert jurisdictionem extraordinarie ad singulos actus*“, et: „*Ecclesia jurisdictionem extraordinarie propter bonum commune in ipso actu supplet.*“

Hoc igitur discrimen est inter jurisdictionem, quae vere jam habetur, et eam, quae exercetur supplente Ecclesia, ut ille, qui habet jam jurisdictionem, *ante actionem* (confessionem aliamve causam) *susceptam* facultate valide agendi polleat, idque plurimum habitualiter, ille vero, qui tantum supplente Ecclesia absolvit aut aliud agit, in singulis actibus *consequenter ad causam susceptam* vel confessionem inchoatam, *ut eam perficiat*, ab Ecclesia potestate donetur, sed finita causa illico potestate iterum destituatur. Quando ergo ante actionem susceptam *probabiliter* jurisdictio jam habetur, Ecclesia, *si* supplet, *hypothetice tantum* supplere debet, sc. si illa jurisdictio, quae *putatur* adesse, revera nulla est; in hac enim sola hypothese potestate ab Ecclesia supplente collata opus est, ut actus jurisdictionis validus fiat.

II. Quaestio: quid discriminis sit inter dubiam et probabilem jurisdictionem, et quomodo Ecclesia in illa suppleat.

Probabilis jurisdictio communi usu ad solam probabilitatem juris³⁸⁸ restringitur; *dubiam* autem vocamus eam, cujus incertitudo in dubio vel probabili aliquo *facto* nitatur.

Et revera, ut alii loquuntur, nos hoc solo sensu de jurisdictione probabili et dubia loquemur, idque ea potissimum ratione, ut indicetur, in dubio facti semper, etiam consequenter ad actionem (puta confessionem) inceptam, tamen facultatem et actionis valorem *dubium manere*; in juris vero probabilitate — ut statim dicemus — post susceptam actionem ejus valorem moraliter certum evadere. Ita etiam S. Alph. — id quod attente legenti patebit — omnino diversimode de dubia jurisdictione (lib. 6 n. 571) et de probabili jurisdictione ejusque usu (l. 6 n. 573) loquitur, ut prorsus in sensu a nobis indicato rem intellexisse videatur.

Igitur *probabilis* jurisdictio (i. e. probabilitate juris) adest, quando antecedenter ad confessionem aliamve causam susceptam jurisdictione secundum juris interpretationem non certam quidem, tamen vere probabilem, habetur, id quod praecipue in dubia extensione aut revocatione jurisdictionis contingere potest. In ejusmodi autem *probabili* jurisdictione secundum S. Alph. l. 6 n. 573 moraliter certo Ecclesia *dat* jurisdictionem pro hypothese, si revera antecedenter desit. Hanc enim ut communissimam doctrinam S. Doctor proponit, eamque illa potissimum ratione confirmat, quod diuturnam consuetudinem cum tali